

MISZELLE

In Manilii prooemia librorum II et III.

Qui in bibliotheca Teubneriana a. 1915 Manilium edidit van Wageningen, initium libri III sic dedit:

*In nova surgentem maioraque viribus ausum
nec per inaccessos metuentem vadere saltus
ducite Pierides. restros extendere fines
conor, et dignos in carmina ducere cantus.*

Ubi quod spondeum *cónor* van Wageningen admisit, Plautinae consuetudinis, non aetatis Augustae est. apud Plautum terminatio verbalis in -or longam syllabam servavit (*Mil.* 633 *pól id quidem éxperiór ita ésse ut praédicás Palaéstriō*), partim etiam in vocabulis iambicis (*Rud.* 1248 . . . *nil móror ullúm lucrúm*), a quibus correptio initium cepit (*Bacch.* 153 *nil móror discípulos . . .*). quae correptio iam apud Lucilium legitima facta est (554 . . . *aequé fruniscör ego ác tu*). ac memoria veteris consuetudinis tantopere evanuit, ut né locis quidem dactylicorum ut Tib. I 10, 13 *nunc ad bella trahór, et iam quis forsitan hostis ullum eius vestigium agnoscendum sit*. nam in semiquinaria hexametri vel apud optimae aetatis poetas praeter nonnullos breves syllabae in consonantem exeuntes etiam eae, quae numquam in historia linguae longae fuerant, hic illic producuntur. ergo apud Manilium sub Tiberio sribentem tradita lectio, praesertim cum productio syllabae in -or in thesi dactyli appareat, tolerari nequit.

Cuius traditae lectionis excusatio ne inde quidem peti potest, quod carmina didactica Romanorum plus quam reliqua dactylica ad archaismos qui dicuntur tam artis metricae quam linguae et sermonis ferendos inclinant. qua in re provocò ad illa, quae de Lucretii sermone H. Diels, Lukrezstudien V (Berl. Sitzungsb. 1922) p. 46 ss. collegit ex imitatione Enniana partim explicanda. et potuit sane fieri, ut argumentum molestum et a Musis alienum poetas didacticos a lepore et venustate aequalium poetarum prohiberet. apud Manilium I 88 *itiner* antiquam formam probaverim, etiamsi a parte tantum editorum, cum codicum memoria vacillet, recepta sit. ad summam autem vestigia antiquioris sermonis apud Manilium parca tantum et dubia sunt. velut quod II 253 *cóntrā iacét Cancer . . .* van Wageningen cum libris scriptis edidit, contra apud poetas dactylicos optimae aetatis non nisi pro spondeo ponitur usu a Lucilio ortum sumente (1335 *cóntrā défen-*

sórem . . .), trochaicum est ut apud Ennium ita post Hadri-
num (cf. Buecheler, *Carm. lat. epigr.* 1254, 3; Marx, *Luc.
carm. rel.* II p. 294). apud Manilium praeter van Wageningen
editores novissimi *quaeve* Breiter (1907) et Housman (1912),
quarta Bechert (1900) rejecto *contrā* offerunt.

Pro *cónor* et *dignós* emendatio in proclivi est *cónor* et
ígnotós. de forma versus cf. I 88 *fécit et ígnotís . . .*; II 714
né vagus ígnotís . . .; de sententia cf. III 29 ss. *speciosis con-
dere rebus carmina vulgatum est opus et componere simplex.
at mihi per numeros ignotaque nomina rerum . . . luctan-
dum est, quae nosse nimis, quid? dicere quantum est?*

Quam *ignotos* scriptionem scio ne Housmano quidem dis-
plicituram esse, qui inter Manilius studiosos conjecturas omnes
praeter suas, vel palmarem F. Bollii I 223 *sidere dempto* invido
dente momorderit (ed. I. V., 1930, p. 122). at *ignotos* hoc loco
Housman conjecturam, ne quid rei sit lateat, mihi prae-
ripuit, nec vero equidem hanc adnotationem omnino litteris
mandavissem, nisi idem Housman suam conjecturam et totum
versum in clausula eius *census* pro *cantus* scribendo misere
pessum dedisset. loquendi genus *cónor . . . ignotos in carmina
ducere cantus* egregie ad Manilium quadrat, modo ne praepositiō
in cum carmina iungatur, sed *cum ignotos cantus*. nimirum Manilius praepositione postposita hic illic vel eam
in structuram sententiam flectere amat, ut primo obtutu, quo
referatur praepositio ambiguum videatur; velut hoc loco praepositiō
in per se tam ad carmina quam ad ignotos cantus trahi potest. qua de proprietate Manilius commentatores eius
ad versum I 245 *nos in nocte sumus somnosque in membra
locamus* longiores fuerunt, nec desunt certa exempla consuetudinis illius ut III 520 s. *sic annum mensesque suos natura
diesque atque ipsas v.luit numerari signa per horas* (i. e. per
signa horas). fundamentum autem locutionis *ignotos in car-
mina ducere cantus* recte interpretandae ea re efficitur, quod
carmina sive *carmen ducere* apud poetas Augusteos in dictio-
nem sollemnem abiit; cf. Prop. IV 6, 13 *Caesaris in nomen
ducuntur carmina*. Ov. *trist.* I 11, 18 *tamen ipse trementi
carmina ducebam qualiacumque manu*. III 14, 31. Pont. I
5, 7. itaque apud Manilium *carmina in ignotos cantus ducere*
fere idem sonat atque I 4 *primusque novis Helicona movere
cantibus*, similia, quibus Manilius primus horoscopon totamque
artem mathematicorum obscurissinam versibus latinis illustra-
turus laudes ipsius extulit.

Simul admodum notabile est, quo discrimine distincta
Manilius *carminis* et *cantus* vocabula in unam sententiam
copulaverit. substantivum *carminis*, cum in iuncturis verba-
libus verbis *faciendi*, *ducendi*, aliis passim accedat (*Thes. l. l.*
III 469, 30 ss.), hoc loco in unam paene dictionem cum verbo
ducendi coaluit. eorum autem scriptorum, qui *cantus* vocem
translate i. q. poema valentem adhibuerunt, Manilius ipse

agmen dicit (*Thes. l. l.* III 295, 54 ss.), nendum phrases ‘*cantus ducere*’, sim. in usum venerint. itaque suo iure ad opus suum de rebus caelestibus praedicandum poeta *cantus* vocem, quae tunc demum vim significandi dilataverat, usurpavit; hac elatiore voce Manilius opus suum appellare maluit quam *carminis* trito et obsoleto vocabulo.

Quod vero nomina secum cognata *carminis* et *cantus* in unam sententiam Manilius coniunxit, sciens fecit. sic etiam I 384 s. *uno vincuntur in astro augusto, sidus nostro quod contigit orbi Caesar* voces *astri* et *sideris* significatione secum cognatas variando adhibuit, cum ab *astri augusti* dictione Tiberium Caesarem per imaginem significante sollerter progressus sit ad vocem translatam *sideris*, qua in acclamacionibus passim Caesares vulgo appellabantur (cf. *Mus. Rhen.* LXV, 1910, p. 245 et LXXIX, 1930, p. 288). praeterea in *dei* et *divi* vocum secum cognatarum usu lusit I 803 s. *illa deum sedes, haec illis proxima, divum* (i. deorum) qui (i. duces sive heroes) *virtute sua similes vestigia tangunt* (*Mus. Rhen.* LXV p. 240). divos, i. e. Quirinum sive Romulum, Divum Iulium, Augustum Divi filium ex consulto cum veris dis Marte, Venere, Iove aequavit ducibus tantum minorumque gentium dis ab illis distinctis. ex eius generis usu variato vocum maxime inter se cognatarum *divus* et *deus*, *astrum* et *sidus*, *carmen* et *cantus* de fatis harum vocum, quid singulis temporibus valuerint, multum discitur.

A quo loco communi libri III prooemium incipit, quo loco novi et inauditi operis poeta se auctorem fore profitetur, in eundem locum communem desinit libri II prooemium v. 136 ss. *haec ego divino cupiam cum ad sidera flatu ferre, nec in turba nec turbae carmina condam eqs.* quae huius prooemii peroratio inde a v. 136 usque ad v. 149 pertinet, cum tres potissimum sensus explicentur. primum superbia sumpta Manilius non hominibus, sed caelo et astris, dis animalibus noscenda carmina se facere gloriatur. deinde paullo modestiore animo usus concilia arcana piorum, quae turba per orbem minima sit, cantus ignotos ipsius auditura esse sperat. postremo Manilius homo ad homines revertitur sibique conscius factus esse videtur, quo taedio mathematicum argumentum difficile illud et spinosissimum in carmen redactum lectores urbani recepturi sint v. 145 ss.:

*illa (turba) fluit, quae divitias, quae diligit aurum,
imperia et fasces mollemque per otia luxum
et blandis adversa sonis dulcemque per aures
affectum, ut modico noscenda ad fata labore.
hoc quoque fatorum est, legem perdiscere fati.*

Quibus versibus duae difficultates insunt, quarum priorem paucis absolvere licebit. verba v. 147 *et blandis adversa sonis* singulariter dicta videntur. Scaliger, ed. (Argent. 1655) p. 11.

diversa pro adversa lectionem a se propositam defendebat: 'diversa blandis sonis sunt cantica modulis diversificata'. Housman, ed. I. II (1912) p. 16 et *blandos adversa sonos* coniecit, cum *adversa* spectare ad subiectum totius sententiae *turba* putaret. verum Manilius adiectivum *adversus* totiens cum dativo structum sine notione opponendi inimice de mera derectione adhibet (cf. *Thes. l. l.* I 867, 68 ss.), ut Iacobo, ed. (1846) p. 51 et Bretero, ed. t. II (1908) p. 48 facile assentiamur *adversa* pro obiecto sumentibus et ad *diligit* referentibus, cum per paraphrasin interpretentur 'carmina quae blandos sonos ambiunt' conversis latinis vernaculae 'was schmeichlerischen Klängen sich zuwendet'.

Altera difficultas inhaeret verbis v. 148 *ut modico noscenda ad fata labore*. cum vero prior difficultas illa, quamvis aegre feramus, tamen conexum totius orationis disturbare parum valeat, altera omnem sermonem poetae ad finem prooemii currentis nebula suffundit et incertum reddit. quid vero rei sit, facillime priorum commentatorum adnotationibus appositis expanditur. Scaligero quidem l. l. dictio *ut modico noscenda ad fata labore* ad homines ἀφεπέποντος spectare visa est, qui musicae potius quam astrologiae nati modicum tantum laborem in fata noscenda impenderent. at recentiores editores Iacob, Breiter, Housman ll. ll. praepositione *ad* aliter intellecta eundem flosculum sic interpretantur, ut carmina blandos sonos capessentia dulcisque per aures affectus inter eas res esse dicantur, quae cum fati investigatione vere laboriosa collatae vel modico labore parentur.

Verum omnia haec conamina tam Scaligeri quam editorum recentiorum defendendae lectionis traditae corrunt, si illud attenditur, blandos sonos et dulcem per aures affectum, oblectamenta artis musicae ne modicum quidem laborem secum ferre, sed meram voluptatem. ne ἀφεπέποντοι quidem dicuntur, sed plane luxuriosi. nec vero Manilius de iis hominibus loquitur, qui fidicines, archimimi, similes, cantibus variis sive modis quibuslibet artis musicae componendis incumbant, nec de iis, qui saltem recitatorum munere fungantur, sed de turba quae audiat. itaque potius quam Scaligero aut editoribus recentioribus in defendendo flosculo *ut modico noscenda ad fata labore* oleum et operam perdentibus Bentleio, ed. (1739) p. 79 astipulatur eramus, qui versum 148 una cum tribus versibus praecedentibus brevi manu a Manilio abiudicavit.

At quae difficultas hoc dissensu Scaligeri et Bentlei, virorum summatum affatim illustratur, eam nihil minus tolli posse spes est. nimirum lenissima medela versui succurrit pro *ut modico* scripto *in modico*, i. e. 'cum labor, quo fata noscantur, immodus sit'. praepositionis *ad* sic cum gerundivo adhibitae, ut totam sententiam spectet finisque actionis totius indicetur, exempla larga inveniuntur *Thes. l. l.* I 534, 31 ss.; cum *labor* coniunctum occurrit *immodicus* Ov. *Pont.*

I 4, 22 *inmodicus contra carpit utrumque (corpus et animum) labor.*

Qua lectione *inmodico noscenda ad fata labore reposita magnum animum Manili in fine prooemii subito prorumpere perspicuum fit, quippe qui ingenue fateatur, quantum laboris et taedii horoscopi inventores sectatoribus et poetae ipsi attulerint. at verus et acer in increpando opere ipsius Manilius factus, verior et sollertior factus est in respondendo; se labores suos ad finem ut fato sibi ingestos ducturum esse pollicetur. postquam in Arateis libri I lusit, hoc idoneo operis loco, quo ad ipsa isagogica obscurae artis pervenit, rationem laborum suorum reddit v. 149 hoc quoque fatorum est, legem perdiscere fati.*

Atque simili in discrimine rerum simili responso Manilius usus est loco quodam libri IV. cui libro cum longum sermonem de fato prooemii instar praemiserit, quo omnia hominum facta paene ipsis invitatis iussu siderum fieri intenderit, periculum sane instare sensit sibi ingenue indicandum, ne hac ratione scelus defendenteretur. cui periculo obstitit acumine eodem atque illic II 149 usus IV 117 s. nec refert scelus unde cadit; scelus esse fatendum. hoc quoque fatale est, sic ipsum expendere fatum.

Bonnae.

Ernestus Bickel.